

VIII.



RECTOR
UNIVERSITATIS
LIPSIENSIS

AD FUNUS.

DOMINI
RAYMUNDI
EGGERI,

AUGUSTANI
STUDIOSI JUVENIS, GE-
NERE NOBILIS, DOCTRINA
ET MORIBUS POLITI,

HODIE X. MAJI. M DC XCVI.
POST SACRA PUBLICA POMERIDIANA
SOLENNI RITU

DEDUCENDUM

PROCERES ET CIVES SUOS
PERAMANTER INVITAT.

Biogr. erud.

D. 208, 8.

Vitt. Erud. f. 10. Vol. 8



DE Statua Calendis Maji aureum caput habente Sigebertus in Chronicis anno Domini MXXXVIII. Vincentius Burgundus Præsul Bellovacensis in Speculo Historiali libro XXV. capite XVII. Platina in Leone IX. Antonius Bonfinius Rerum Ungaricarum Decade Secundâ, libro Secundo, ad Annum MXLII. fol. 225. Pandulfus Collenutius in Historia Neapolitana libro Tertio, pagina octuagesima septima; Simon Majolus Dierum Canicularium Colloquio XXIII. de Memorabilibus arte hominum confectis, fol. 404. Camerarius Horarum Subcifarum Centuria I. capite LXIII. memoriæ prodiderunt, Robertum Guiscardum Normanniæ Ducem, postquam ex Gallia in Italiam cum exercitu venisset, atque fugatis Græcis Afrisque Apuliam occupasset, lapideam illic statuam reperisse, æneum circulum circa caput habentem, hisce literis notatum: Calendis Maji oriente sole aureum caput habeo. Unde Saracenum quendam Guiscardi captivum, Magicæ observationis peritum, notasse locum umbræ capitis ipsius statuæ, Calendis Maji oriente Sole, fodientemque invenisse thesaurum, & se redemisse. Hanc narrationem de Statua Concionatores duo inter Pontificios longe aliter adduxerunt: Unus Hadrianus Lyræus Jesuita de Imitatione Jesu patientis, qui libro V. capite V. fol. 265. in Apulia, ait, inventam fuisse statuam marmoream mirifice fabricatam, cujus caput corona ærea redimitum, hæc per gyrum circulo inscripta habuerit verba: Occidente Sole in Ariete caput auri habeo. Alter Carolus van Hoorn in Cornucopiæ Sacrarum Concionum Colonia Anno MDC LXX. edito, ubi sermo est de Passione Domini, deque inclinato Christi morientis capite. §. 22. pag. 544. refert, à quodam sculptore Romæ marmoream statuam erectam fuisse, cum his inscriptis verbis: Dum Sol mense Julio erit in meridie, caput aureum habeo: Horum interpretationem Romanos Academicos quævisisse; peregrinum aliquem tandem thesaurum detexisse, per aureum illud caput denotatum. Uterque scriptor Platinam Auctorem citavit, quem neutrum evolvisse certum est. Ideo censuram in utrumque strinxit Criticus Anonymus Pontificius, in Criticorum Miscellaneorum Curiosorum Sexagenario priore, Animadversione XXVII. pag. 65. falsè scribens, neutri satis lucis fuisse, nec in Occidente, nec in meridie solis sui; nec in æstivo mense Julio, nec in verno signo Arietis. Nos alia occasione nuper historiam paulo aliter, & à Platina minus discrepantem, ex antiquioris scriptoris Francisci Petrarchæ libro Tertio Rerum Memorandarum capite secundo tradidimus. Solent autem Concionatores tum supra nominati, tum etiam, qui ex Platina rectè repetiverunt, Augustinus Paolettus in Concionum Volumine Dominica III. post Epiphaniam, & Marius Bignoni Capucinus in Encyclopædia, Concione Parasceves die Veneris sancta, num. 16. & 17. pag. 308. ad Christum inclinato capite morientem haut inconcinne accommodare. Ad quam meditationem expoliendam conferri potest illa nota singularis, quæ sponsa mystica sponsum suum præ aliis omnibus conspicuum & illustrem laudat, dicens Cantici V. II. ראש כתר זה כסף : juxta LXX. versionem in Bibliis Polyglottis Anglicanis: κεφαλή αὐτοῦ χρυσοῦ κεφαλῆς, vel ut alia exemplaria habent, κεφαλῆς, aut ut Basiliensis editio, quam Kircherus in Concordantiis secutus est, legit, κεφαλή: juxta vulgatam Latinam: Caput ejus aurum optimum; de verbo ad verbum est, Caput ejus aurum aurum. Nimirum duo auri nomina hic conjunguntur, quæ alibi seorsim id significant: prius כתר purum, splendidum & coruscans, posterius זה solidum

dum & firmum denotare ajunt. Utraq; proprietate præditū purissimum est & optimum. Mysticum sensum Interpretes varium excogitarunt. Paraphraſtes Chaldæus Legis præſtantiam, intelligentiam & obſervantiam intellexit. Sed Gregorius in Commentario, & lib. 34. Moral. cap. 13. Theodoretus, Thomas, Beda, quos ſecuti ſunt Hieronymus Oſorius, Sanctius, Coccejus, alii, de Chriſti divinitate dictum acceperunt, probantes ex illo Pauli 1. Corinth. XI, 3. caput Chriſti Deus. Rationem comparationis Sanctius explicavit. Polycarpus Lyſerus in Diſpoſitionibus & Explicationibus Cantici, aurum de divinitate, caput de omnipotentia, poteſtate regia, gloriaque interpretatus eſt. Similiter Henricus Ainsworth Commentator Anglus, cujus excerpta aliquæ dedit Polus in Synopſi Criticorum, ait, utrumque auri nomen gloriam Sponſi denotat, aut ſi metonymicè pro corona aut ornamento capitis ſumitur, uti pedes pro calceis pedum, Deut. VIII, 4. XXIX, 5. indicant regnum & dominium ejus tum illuſtriſſimum, ſimile auro puro & fulgido, quia ſpirituale & cæleſte, tum firmum & permanens, velut aurum ſolidum, quia æternum, Joh. XVIII, 36. 37. Luc. XVII, 20. 21. Dan. IV, 13. 14. Etenim ſponſa amicum ſuum nominat Regem Cant. I, 4. & David dicit, DEUM impoſuiſſe capiti ipſius coronam auri purgatiffimi Pfalm. XXI, 4. Et, uti Chriſtus hic deſcribitur, ita etiam in regimine Eccleſiæ ſuæ ſe exhibet, ita ut regnum ejusdem potens, glorioſum, & amplum ſimile ſit capiti ex auro puro Daniel. II, 32. 37. 38. Quando porro ſecundum leges & inſtituta pretioſiora auro multo optimo Pf. XIX, 11. in eo geruntur omnia, plateæ Hieroſolymæ (id eſt Lex, in qua homines incedunt,) ſunt aurum purum Apoc. XXI, 21. Præterea gratia dives & beneficentia erga homines comprehendipotest. Ex quibus patet, non eſſe ita adverſas interpretationes, ut non ex fonte deitatis Chriſti deduci & conjungi queant, præeunte Jacobo Turhamo Miniſtro Eccleſiæ Scoticæ in Clave Cantici, quam Johannes Owenus anno MDCLXIX. Londini excudi primum curavit. Itidem ex hoc liquet, Paulinum potuiſſe ſacri Epithalamii verba ad eos, qui fide viva Chriſto capiti uniti ſunt, trahere Epistoſa IV. ſcribentem: Hoc aurum forma Sanctorum eſt, qui in capite corporis ut lumina micant, & ſunt aurum ignitum DEO, quia videlicet eos, per examina paſſionum, in hujus mundi fornace conflatos, invenit dignos ſe, & in his ſacram imaginis ſuæ percuffit monetam &c. Ad cujus ductum, Hominem pium, qui de plenitudine Chriſti gratiam accepit Joh. I, 16. divinæque naturæ particeps effugit mundanam in concupiſcentiis corruptionem, ſubminiſtratque in fide virtutem, in virtute cognitionem, in cognitione continentiam, in continentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate fraternam charitatem, in fraterna charitate dilectionem 2. Petr. I, 4. 5. 6. 7. capite aureo fulgere dicemus. Et quoniam in iſtis in virtute Chriſti tanquam Solis ac fontis juſtitiae quotidie creſcit, licebit ejusmodi hominē Chriſtianum in ſtatua pulchre ſculpta repræſentare, atque in epigraphe facere quaſi loquentem: Ex oriente ſole caput aureum habeo. Quid vero Statuam effingimus, cum DN. RAYMUNDUS EGGERUS, Studioſus juvenis nobilis genere & doctrina moribusque politus, nunc inter beatos, exemplar eſſe potuerit. Natus eſt in urbe Imperiali Libera Auguſtæ Vindellicorum die XXIX. Martii A. Chriſti MDCLXXVI. ex antiqua & in Imperio Romano incluta Eggerorum familia. Patrem enim habuit Dominum RAYMUNDUM EGGERUM, hæreditarium in Hammel, matrem Dominam ANNAM CATHARINAM, natam a Stetten; Avum paternum ALEXIUM EGGERUM, Senatorem Urbis Imperialis Lindaviensis, Aviam paternam ANNAM MARIAM, de familia Schoreria, Auguſtæ Vindellicorum conſpicua; Avum maternum CHRISTOPHORUM a Stetten, Senatorem intimiorem, Camerarium, Ædilem, & Evangelici Judicii Connubialis Auguſtani Præſidem, Aviam maternam MAGDALENAM natam Welſerinam. Horum Parentum Majorumque nobilitate, dignitatibus, & in Republica meritis infans coruſcabat; at longe majorem multoque nobiliorem ſplendorem aqua baptiſmalis affundebat, quæ ablutus, & ſanguine Chriſti, quo aurum contra minus quam nihil eſt, a peccatis mundatus, DEI filius extitit. Eadem gratia ſe mox
exeruit

exeruit, cum & Patris Matrisque, & post hujus obitum Dominae REGINÆ, na-
 tæ Hammaninæ, quæ Noveræ nomen, defunctæ matris affectum habebat, adhor-
 tationibus exemplisq; & Præceptorum, præcipue M. ISAACI CRAMERI diligen-
 tia ad pietatem & bonas literas beneliberaliterque institutus recte viveret, Paren-
 tes Præceptoresque revereretur, atque progressus in studiis pro capacitate inge-
 nii egregia quotidie faceret. Manifestius hæc omnia enituere, cum Anno
 MDCXCIII. mundinis auctumnalibus hanc Academiam ingressus esset. Rece-
 ptus enim à Domina ELISABETHA, vidua Patru sui, in hospitium, quam ut ma-
 trem expertus est, ipse vicissim ut filius semper amavit & honoravit, studiis ani-
 mum suum alacriter excoluit, Ephori sui, M. JOH. HEISSII ductu disciplinas
 mathematicas discens, Auctoresque bonos legens, lectiones publicas & domesti-
 cas Professorum, præcæteris L. JOHANNIS SCHMIDII, & L. ADAMI RE-
 CHENBERGH Hospitis Convictoris, Scholas Ethico-politicas & historicas fre-
 quentans, expectationemque de se magnam faciens. Virtutum pariter aliarum
 fulgorem emisit erga DEUM in precibus devotis, & in auscultandis concionibus
 sacris, erga commilitones & commensales modesta & amicabili conversatione;
 erga Parentes & Matrem suam amore Eggeriam humili & obsequiosa veneratio-
 ne. Tandem etiam in morte Juvenis virtus effulsit. Postquam XXI. die Apri-
 lis male habere cœpisset, mox die sequente passim grassantes hoc vere morbilli se
 prodidere, ita ut vitæ periculum nullum minari viderentur, dum tam Medicorum
 Bezoardica, quam Matris Eggeriæ cura sedula ægro subveniret. At enim æstus
 corporis & cardialgia, pertinacia mala, maligni quid subesse indicarunt: ad quod
 exstingvendum Medici Alexipharmaca & Cordialia statim exhibuerunt. Illa ni-
 hilominus adeo non potuerunt debellari, ut perseverarent potius, ac Convulsio-
 nes accederent. Hæc, quod aliquando cessarent, spatium ægrotanti fecerunt suam
 infirmitatem & vitæ periculum expendendi. Quare accito Patre Confessionario
 suo, L. GOTTLÖB FRID. SELIGMANNO, Confessionem peccatorum seriam
 edidit, & sacrosanctum Corpus & Sangvinem Salvatoris sui accipiens, pectus
 suam plene roboravit. Hinc gratiæ divinæ & vitæ æternæ certissimum se mori
 dixit, hancque suam constantiam Parentibus charissimis nunciari voluit, ut ex ea
 tristitiam & dolorem de morte sua allevarent. Post hæc in precibus & suspiriis cum
 Confessionario suo, adstantibusque cognatis & amicis perseveravit, usque dum
 die XXVI. Aprilis, hora VIII. vespertina pie placideque exspiraret. Virtutum
 studio clarus Juvenis occidit annum ætatis XX. non multum supergressus. Men-
 sis enim minus tribus diebus accedit. Occidit oculis nostris nunc, non sibi, nec
 nobis nunquam rediturus. Nam corona aurea in vita æterna justii hujus ani-
 ma jam radiat, & corpus ei olim redditum, cum Sol hujus mundi cadet, au-
 reum caput habebit, immo instar Solis fulgebit. Id ad hanc lætam spem hodie
 hora III. finitis sacris pomeridianis solenni ritu deponendum deducturi, Proce-
 res & Cives Academicos jubemus & hortamur, ut frequentes nobiscum pro-
 sequantur, facturi Ἐμακαρίτης familiæ nobili honorandæque rem gratam, plenam-
 que Christianæ συμπεθείας, & nostro Ordini maximè congruentem. P.P. Do-
 minica Cantate Anno Æræ Christianæ M DC XCVI.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTIANI SCHOLVINII.

